DISPUTATIO
METAPHYSICA VII.
DE
UNITATE,
QUAM
PRÆSIDE
M. MARTINO BERTLEFFIO,
Prof. Publ.
præviâ Ejusdem prælectione publicâ
RESPONDENS
ANTONIUS Giering/ Thorun.
adversus
DANIELEM BAUSIUM, Pomer.
GEORGIUM WACHSCHLAGERUM, Thor.
SAMUELEM Brettschneider/ Lisn.
defendet
IN GYMNASIO THORUNENSI,
A. O. R. M. DCC. IV. die 30. Januar.
horis consvetis.

THORUNII,
[...]FICINA NOBILISS. SENATUS
& GYMNASII.

THESIS I.

Unitas est affectio Entis unita.

Hypothesis.

PRo determinando controversiæ statu, Dist. (1) inter Unitatem Transscendentalem & Numeralem: de illa. (2) Dist. inter Unitatem Realem & Rationis: de illa. (3) Dist. inter affectionem unitam & disjunctam: de illa. (4) Dist. inter Ens Incomplexum & Complexum: de illo.

Catathesis.

EX communi Philosophorum sententia Unitas est affectio Entis unita: qvoniam simpliciter & solitariè de Ente enunciatur & cum eo in sensu unito reciprocatur, juxta Metaphys. axioma: Omne Ens est Unum, &, O. unum est Ens. Hinc divisio Entis in unum & multa, repugnat adæqvationi Unius & Entis; adeo ut multa qvat. sunt multa, revera non sint Ens, sed Entia.

Antithesis.

OBjic. 1. Unitas non differt realiter ab Ente, E. non est affectio Entis. R. Unitas non differt ab Ente realiter Conc. formaliter non differt, Neg. Antec. & Conseq.

Obj. 2. Unum & multum dividunt O. Ens, E. Unitas non est effectio unita sed disjuncta. R. Neg. Antec. q. Multum Metaphysicum non datur. Impossibile enim est, ut Ens ullo respectu propriè & absqve tropo sit multa. Sed qværcunqve sunt multa, illa non sunt Ens, sed Entia.

THES. II.

Unitas est affectio Entis positiva.

Hypothesis.

REpetenda hic est (1) Unitatis distinctio in Transcendentalem s. Metaphysicam, & Arithmeticam sive Prædicamentalem: de illa. (2) Dist. inter Unitatem Realem & Rationis: de illa. (3) Dist. inter affectiones sumptas abstractivè, qvat. considerantur formaliter; & Concretivè, prout sunt idem cum Ente, de his. (4) Dist. inter Positivum in sensu strictiori, qvasi superaddatur Enti aliqvid positivi, tanqvam realiter diversum sive nova entitas; & in sensu laxiori, prout omne id positivum dicitur, qvod in re ante omnem intellectus operationem datur: de hoc.

Catathesis.

ASsertum fundatur in rationibus seqq. (1) q. qvale subjectum, talis etiam affectio. Sed subjectum scil. Ens, est positivum, E. & Unitas. (2) q. Unitas perfectionem Entis arguit. Qvò magis enim Ens ad unitatem accedit, eo est perfectius. (3) q. O. unitas per participationem sive dependens reducittur ad Unitatem per essentiam sive independentem tanqvam rivulus ad suum fontem, E. sicuti hæc, ita & illa est affectio positiva.

Antithesis.

OBjic. 1. Unitas est passio Entis negativa: qvon. nihil aliud est, qvâm indivisio Entis in se, qvæ notat divisionis negationem, E. non est

affe-

affectio positiva. ℞. Neg. Cons. Nam licet Unitas per modum negationis per indivisionem definiatur, non tamen mera negatio est, sed aliqvid positivum.

Obj. 2. Unitas non superaddit Enti aliqvid positivi, E. non est affectio positiva. ℞. Non superaddit Enti aliqvid realiter ab eo distinctũ, datur tamen ante omnem mentis operationem & positivam rei perfectionem explicat.

THESIS III.

Omne Ens est unum, & contra: O. unum est Ens.

Hypothesis.

VAlet axioma (1) de Ente per se & incomplexo; non de Ente per accidens & complexo. (2) de unitate affirmativa & inclusiva consortium aliorum admittente; non de unitate negativa & exclusivâ, consortium aliorum simpliciter respuente. (3) de Unitate Transcendentali, qvæ entitatem indivisam designat; non de Prædicamentali & Arithmeticâ, qvæ est principium numeri.

Catathesis.

PRo Thesi militant rationes seqq. (1) O. Ens incomplexum est in se & â se indivisum & distinctum, nec fieri potest, ut sit aliud â seipso. (2) q. O. Ens incomplexum, ut habet unam absolutam & specificam essentiam: ita etiam unam propriam & essentialem definitionem. (3) q. Ens incomplexum, judice Scal. Exer. 310. Sect. 2. qvod non est unum, ne est qvidem.

Antithesis.

OBjic. 1. Solum Ens Entium est simpliciter unum, in qvo propriè nihil est, qvod non sit ipsum. E. non O. Ens est unum. ℞. Solum Ens Entium sive primum est unum, unitate independente, h. e. summè & perfectissimè unum; Conc. unitate participata sive dependente, qvat. idem est ac per se & essentialiter esse unum sine respectu ad aliud. Neg. Antec. & Cons. sic enim omni Enti incomplexo competit.

Obj. 2. Q. est Ente inferius, id non convertitur cum Ente tanqvam affectio. Atqve unum inferius est Ente: q. proprium est qvantitatis. E. Unum non convertitur cum Ente. ℞. Minor cum Probatione sonat de Uno numerali s. qvantitativo; non de Transcendentali: de qvo h. l.

Obj. 3. Aut Ens est unum ante unitatem, aut per unitatem, si Prius; habetur intentum: si Posterius, E. ante conceptum unius Ens non erit unum. ℞. Ens est unum per unitatem, qvæ ipsi perpetuo adhæret.

THESIS IV.

Omne Ens est indivisum.

Hypothesis.

INtelligendum est ax. (1) de Ente Incomplexo; non complexo. (2) de Indivisione Entitativa, non Accidentali. (3) non de indivisione tali, qvæ sit aliqva nova entitas positiva; vel aliqvid rationis ratiocinantis; vel pura negatio; sed de indivisione tali; qvæ concipitur ut aliqvid rationis ratiocinatæ, & est

est negatio divisionis, qvæ intrinsecus est Entis respectus, qvô indivisa notatur entitas, vel entitativa indivisio.

Catathesis.

RAtio Theseos hæc est: cum enim O. Ens sit unum, necessariò etiam est indivisum. Indivisibilitas qvippe de unius ratione est, tam ratione eorum, qvæ infra se ut essentialiter inferiora non habere potest; qvàm indivisio ratione eorum, qvæ intra se ut essentialiter constituentia habet, sit compositum; vel ratione simplicis suæ entitatis, si expers sit compositionis. Itaqve ratione prioris excluditur multiplicitas aptitudinalis, qvòd est indivisibilis; ratione posterioris multitudo actualis, qvòd negatur divisio.

Antithesis.

OBjic. 1. Datur Ens, qvod constat ex congerie multorum ejusdem vel diversæ naturæ, e. g. Exercitus, domus, acervus lapidum &c. in qvæ dividi potest, E. non O. Ens est indivisum. R. Neg. Conseqv. Nam exempla allata pertinent ad Ens per accidens & complexum; Canon sonet de Ente per se & incomplexo.

Obj. 2. Etiam in Ente per se datur compositio scil. ex materia & forma, E. etiam divisio. R. datur compositio incompletorum, Conced. completorum Neg. Antec. Nam ex duobus entibus in actu perfecto non potest fieri unum per se, nisi unum induat naturam formæ, alterum naturam materiæ.

THESIS V.

Unum singulare est incommunicabile.

Hypothesis.

INtelligendum est axioma (1) de Unitate reali, non rationis. (2) de incommunicabilitate certo respectu, scil. ad modum universalis per multiplicationem in inferioribus specie vel numero distinctis; non de incommunicabilitate simpliciter, per effectionem, propagationem, informationem, communem usurpationem vel per alium modum.

Catathesis.

ASsertum confirmatur h. m. (1) q. in incommunicabilitate consistit distinctio singularium ab universalibus, qvæ est negatio aptitudinis ad communicandum sese essentiali participatione ratione plurium sub se contentorum. (2) q. singulare neqvit habere alia infra se, in qvibus plurificetur per sui communicationem, & de qvibus dici possit qvidditativè propter essentialem communicationem.

Antithesis.

OBjic. 1. Pater generat filium. Atqve Pater est unum singulare. E. Unum singulare non est incommunicabile. ℞. Canon non sonat de incommunibilitate per propagationem; sed per modum universalis: adeoqve committitur Elenchus.

Obj. 2. Præceptor communicat suam eruditionem discipulo, E. Unum singulare est communicabile. ℞. per dist. datam.

THESIS VI.

Unitas conſervat res, multitudo deſtruit.

Hypotheſis.

CAnon iſte valet tam de unitate Phyſica qvoad vinculum inter materiam, formam & alias partes; qvàm de unitate Ethica ſive moráli, qvâ concordia in Republica & fąmilia, & per qvam ſalus tum publica cum privata conſervatur.

Catatheſis.

UNitatem conſervare res, multitudinem verò deſtruere, multis rationibus probari poteſt. (1) q. DEUS eſt prima unitas, à qva omnes res ut exiſtunt, ita conſervantur. Et qvò magis Ens accedit ad illam unitatem, eò minus corruptioni eſt obnoxium. (2) q. Eſſe cujuslibet conſiſtit in indiviſione ſive unitate; ſicuti jam cuſtodit ſuum eſſe, ita etiam ſuam unitatem. (3) q. omnia corpora naturalia tam diu conſervantur, donec ſalva manet unitas materiæ & formæ; hâc deſtructâ & ipſa corrumpuntur. (4) q. nulla ſocietas humana conſiſtere poteſt, niſi aliqvo unitatis vinculo conſtringatur & confirmetur, qvó ſoluto & ipſa corruit ex ſententia Chriſti Matth. 12. (5) q. unitas eſt fons æqvalitatiś, concordiæ, pacis & amicitiæ: Multitudo eſt fons inæqvalitatis, diſcordiæ, bellorum, ſchiſmatum &c.

Antitheſis.

OBjic. 1. Plus valet multitudo, qvam paucitas & uni-

& unitas: qvòd vis unita fortior. E. unitas non conservat, & multitudo non destruit res. ℞. (1) sermonem hic esse de unitate specifica & Ethica; non numerica. ℞. (3) Plus valet multitudo concors Conc. discors Neg. Antec.

Obj. 2. Discordia sæpe magnas res molitur & efficit, concordiâ succumbente. E. unitas non conservat res. ℞. (1) Discordia res magnas molitur in perniciem Conced. in salutem Reipubl. Neg. ℞. (2) de facto & ad tempus Conc. de jure & finaliter Neg. Ant. Nam concordia res parvæ crescunt, discordia res magnæ dilabuntur.

THESIS VII.

Unitas perfectionem Entis arguit.

Hypothesis.

UNitas hic intelligitur materialiter & concretivè ratione Entis spectata, cum qvo indivisum Ens denominatur; non per se, formaliter & abstractivè extra Ens considerata, prout tantùm rei indivisionem dicit. Perfectio non accidentalis, sed essentialis etiam intelligitur.

Catathesis.

ASsensum meretur Thesis vel ideo: qvòd qvò aliqvid simpliciùs & qvò magis accedit ad unitatem, eò perfectius esse censetur.

Antithesis.

OBjic. Unitas non addit novam aliqvam entitatem Enti, E. Entis perfectionem non arguit. ℞. Non superaddit qvidem aliqvam positivam entitatem diversam, attamen perfectionem entitativam explicat.

THESIS VIII.

Unio non est sine mutua unitorum præsentia.

Hypothesis.

DIst. (1) inter Unionem Propriam & Impropriam, de illa, (2) inter Unionem Imaginariam, Habitualem, Extrinsecam, Virtualem, Inadæqvatam, & Veram, Realem, Intrinsecam, Substantialem, Adæqvatam, de hac. (3) dist. inter præsentiam unitorum realem, & objectivam, effectivam & relativam. de illa h. l.

Catathesis.

ARgumentum pro confirmanda sententia nostra sumi potest (1) â definitione Unionis: qvæ est concursus communicabilis rerum per naturam distinctarum. Vel: qvæ est existentia rei cum re, â qvâ non distat. (2) q. Terminus Unionis est unum indivisum. At qvæ sibi non sunt mutuò præsentia, impossibile est, ut unum indivisum constituant. (3) q. Unio indivisibilis infert rerum unitarum præsentiam æternam. Qvod Leo Epist. 5. ad Flavum sic confirmat: *Post unionem in Christo, nec sine divinitate humanitas, nec sine vera humanitate credatur Deitas. Impoßibile est, ut unita sint & maneant, nedum unam hypostasin habeant, qvæ locorum intercapedinibus distant.* Falluntur itaqve, qvi negant humanitatem ubiqve præsentem adesse Deitati. Falluntur etiam, qvi in Unione sacramentali conjunctionem rei cœlestis & terrenæ tantùm objectivam, effectivam & relativam; non verò realem statuunt.

Antithesis.

OBjic. 1. Unio consistit inter ea, qvæ aliqvam saltem ad se invicem dicunt habitudinem sine reali conjunctione, e. g. Unio Habitualis, socialis &c. E. Unio est sine mutua unitorum præsentia. ℞. Antecedens sonat de Unione impropria, cujus exempla qvoqve adducta; non verò de Unione propria, de qva h. l. & sic Neg. Conseqv. commisso Elencho.

Obj. 2 Datur Unio imaginaria & virtualis sine mutua unitorum præsentia, E. Canon falsus. ℞. Non est sermo hic de Unione imaginaria, sed reali.

THESIS IX.

Unio realis non est sine idiomatum communicatione.

Hypothesis.

DIstingv. hic est (1) inter Unionem Realem, ac propriè dictam & Impropriam. de illa. (2) Dist. inter propria qviescentia, foras sive ad extra progredientia, ac nihil facientia ad unionis finem, qvi est operationis communio: & inter propria operosa, externis operibus se conspicienda præbentia & ad unionis finem conferentia: de his. (3) Dist. inter communicationem qvà plenariam usurpationem & qvà possessionem. Non ubiqve illa, sed tantùm de propriis operosis & ad finem unionis conferentibus intelligenda.

Catathesis.

UNionem realem non esse sine idiomatum com-

communicatione prob. Unio realis infert termini communionem qvà naturas unitas: qvam inseqvitur idiomatum communicatio, eò qvòd unitorum in agendo necessaria sit communio. Ideoqve Unio dicitur causa communicationis proprietatum, licet non semper ratione plenariæ usurpationis, tamen ratione possessionis. de qva Matth. XI. 27. Joh. III. 35. Viderint itaqve, qvi unionem duarum naturarum in Christo concedunt; idiomatum communicationem autem inficiantur, qvàm absurdè ratiocinentur contra sanam rationem.

Antithesis.

OBjic. 1. Si divina natura communicet humana propria sua, vel id ita fiet, ut hoc numero proprium in naturam transeat humanam, vel ut in eadem efficiatur unum specie. Atqve neutrum dici potest, E. Unio realis est sine idiomatum communicatione. R. Non esse sufficientem partium enumerationem. Datur enim tertium. Nam licet hic non sit communicatio *transitiva* nec *effectiva*; est tamen illa, qvæ fit *per & propter unionem*, qvâ id, qvod perfectius est inter unita, alterum sibi unitum perfectione indigens, intimè invadit, eiq; perfectionem communicat verè ac realiter.

Obj. 2. In Christo datur realis unio duarum naturarum divinæ & humanæ, non tamen omniscientia juxta Matth. 24. 36. Marc. 13. 32. Joh. 11. 34. Marc. 11. 13. E. Unio realis est sine mutua idiomatum communicatione. R. (1) A negatione actus secundi ad negationem

actus

actus primi N. V. C. R. 2. alii: ignoravit aliis ad manifestandum, non sibi. R. (3) alii sic: qvoad plenariam usurpationem in statu exinanitionis non exeruit omniscientiam incessanter: potuit tamen scire omnia actu primo: qvia in ipso habitabat Deitatis plenitudo Coloss. 2. 3. 9. R. (4) ad loc. Joh. 11. Interrogatio non semper est index ignorantiæ, ut patet ex Gen. 3. 9. c. 4. 9. R. (5) ad Marc. 11. intelligendum esse de actu secundo, sive de plenaria usurpatione, non de possessione & actu primo.

THESIS X.

Ubi unum est unitorum, ibi est & alterum.

Hypothesis.

UT sensus appareat Theseos (1) Dist. inter Unionem totalem & partialem, sive aliqvalem conjunctionem per adjacentiam. de illa. (2) inter Unionem Realem & Notionalem, de illa. (3) inter Unionem propriam & Impropriam. de illa.

Catathesis.

RAtio hujus axiomatis constat ex ipsa unionis totalis naturâ; qvâ positâ non potest unum unitorum alicubi esse extra alterum, secus non esset totalis unio. Sic ubi est corpus vivi hominis, ibi est & anima tota toti corpori realiter unita. Similiter, ubi est

λόγ@ totus carni totaliter unitus, ibi est & caro, & contra.

Antithesis.

OBjic. 1. Vistula & Thorunium uniuntur, non tamen ubi Vistula, ibi Thorunium est. E. axioma falsum. ℞. Uniuntur conjunctione aliqvali Conc. unione totali Neg. Anteced. & Conseqv.

Obj. 2. Caput & pedes uniuntur, non tamen ubi caput est, ibi pedes sunt. E. ℞. argumentum sonat non de unione per se, de qva h. l. sed tantùm propter habitudinem aliqvam, qvâ caput & pedes uniuntur in uno tertio mediantibus reliqvis partibus.

THES. XI.

Proprium cùm communicatur, non desinit esse proprium.

Hypothesis.

UNica hic tenenda distinctio inter proprium commune simpliciter, & communicabile alteri. de hoc.

Catathesis.

FUndamentum asserti est hoc: qvod proprium non uno eodemqve, sed diverso modo competat subjectis unitis: alteri primariò, immediatè, originaliter, formaliter, per naturam & essentiam; alteri verò secundariò, mediante subjecto primario, vi unionis, secundùm

cundùm qvandam possessionem, usurpa nem & denominationem. Hinc etiam p prium communicatum non fit simpliciter co mune, licet fiat communicabile alteri c proprio subjecto.

Antithesis.

OBjic. 1. Proprium commune est contradict in adjecto: qvoniam essentialiter uni s competit; communicabile verò essentialit pluribus competit, E. Proprium cùm con municatur, desinit esse proprium. ℞. (1 Dist. inter commune & communicabile. Et inter commune & proprium esset contradicti tamen non est inter proprium communicabil ℞. (2) Supposito qvòd proprium considere tur vel ratione Inhæsionis, denominationi & usurpationis, sic non est contradictio proprium secundùm inhæsionem esse commu nicabile secundùm usurpationem.

Obj. 2. Proprium unius non potest esse pro prium alterius, E. dum communicatur, desi nit esse proprium. ℞. Proprium unius non potest esse alterius formaliter in & per se, primariò; potest tamen per unionem & secundariò.

FINIS.